Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8182
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

Ideo nichil vilius quam a carne
vinci. nichil gloriosius quam carnem
vincere. De speciebus luxurie

Sequitur de speciebus
luxurie. Dividitur
autem luxuria uno modo in du
as species. scilicet in luxuriam cordis
et luxuriam corporis. Ad has
duas species pertinet. quod legitur in
ps. Ure renes meos et cor meum.
Contra primam speciem est ne
cessarium. ut ad mamillas
zona aurea simus precincti.
secundum visionem. Ezech. ix. et
Dan. x. Levavi oculos meos
et vidi. et unus vir vestitus
et renes eius accincti auro
obrizo. Continencia vero cordi
nalis periculosa est. quod
ille qui laborat hoc vicio. hic
specie incontinencie peccat mor
taliter tociens. quociens videt
pulchram mulierem. Unde dicitur
sagena cor mulieris fatue
Ecc. ix. Inveni mulierem mor
te amariorem. que laqueus vena
torum est. et sagena cor eius.
Sagena totam aquam occupat.
sic cor fornicantis. fatua
mulier in omnibus. Alio modo
dividitur luxuria in v. species.
Sciendum tamen est. quod nomen
luxuria. quandoque sumitur large
quandoque minus large. Primo
modo luxuria dicitur inordinatus
amor delectacionis. que est
secundum tactum sicut vicium
gule est inordinatus amor de
lectacionis. que est secundum gustum.
et cupiditas. et amor pecunie
et secundum hoc potest dividi luxuria in
v. species. Quarum prima per
tinet ad suavitatem vestium
et lectorum. Secunda ad suavi
tatem unctionum quibus antiqui
utebantur. Tercia ad sua
vitatem balneorum. Quarta
ad tactus inmundos illorum
membrorum. que generacioni non de
serviunt. Quinta pertinet
ad membra generacioni deputa
ta. et ista species luxurie vocatur
luxuria. Secundum quod hoc nomen
luxuria stricte sumitur. et di
viditur in v. species. Prima
est simplex fornicacio.
Secunda. stuprum. quod est illicita
defloracio virginum. Ter
cia. adulterium. quod est ad alie
nus thori accessio. Quarta
est incestus. quod est consanguineo
rum vel affinium abusus.
Sub qua specie comprehendi potest.
incontinencia sanctimonialium.
et religiosorum. Quinta est
peccatum contra naturam. quod fit duo
bus modis. Quandoque contra
naturam. quemadmodum cum mulier
super graditur. vel cum fit bestiali
ter. illud opus. in vase debi
to. Quandoque contra naturam. quan
tum ad substanciam. ut cum quis procu
rat. vel consentit. ut semen.
alibi. quam in loco ad hoc deputato